



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

**Luxemburgi, 1740**

CXXI. Confirmantur omnes Confraternitates sub titulo Beatæ Mariæ  
Virginis Septem Dolorum a Superioribus Generalibus Ordinis Servorum  
Beatæ Mariæ Virginis erectæ, etiamsi de earum canonica erectione ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74733)

1733.

Supplicarum  
Sanctissimo  
pro confir-  
matione hu-  
jusmodi Sta-  
tutorum.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio sub-  
jungebat, Leges, Decreta, & Statuta hujusmodi  
bono prædictæ Congregationis gubernio valde  
utilia sint; firmiora verò existant ea, quibus  
Apostolicæ Sedis auctoritas accedit; Nobis prop-  
terea dictus Michael Procurator Generalis humiliter  
supplicari fecit, ut in præmissis opportune  
providere, & ut infra, indulgere de benignitate  
Apostolica dignemur. Nos igitur ipsum Mi-  
chaelem Procuratorem Generalem specialis favo-  
re gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excom-  
municationis, suspensionis, & interdicti, aliis-  
que Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis,  
a jure vel ab homine quavis occasione vel causa  
latis, si quibus quomodolibet innodatus existit,  
ad effectum præsentium dumtaxat consequen-  
dum, harum serie absolventes, & absolutum  
fore censentes, hujusmodi supplicationibus in-  
clinati, de Veterabilium Fratrum Nostrorum  
S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultatio-  
nibus Episcoporum & Regularium præposito-  
rum, qui rem mature perpendunt, consilio,  
omnia & singula Decreta, Statuta, Leges, &  
Capitula præinserta, auctoritate Apostolica tenore  
præsentium confirmamus & approbamus, il-  
lisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur ad-  
jicimus, ac omnes & singulos juris & facti defe-  
ctus, si qui desuper quomodolibet interven-  
erint, supplemus: salva tamen semper in præmis-  
sis auctoritate Congregationis eorumdem Cardi-  
nalem.

Que beni-  
gne conce-  
ditur.

Harum Lite-  
rarum obser-  
vantia.

§. 3. Decernentes, easdem præsentibus literas,  
& Leges, Decreta, Statuta, & Capitula præin-  
serta, semper firma, valida & efficacia existere &  
fore, suosque plenarios & integros effectus for-  
titi & obrinere; ac illis, ad quos spectat, & per  
tempore quandocumque spectabit, in omni-  
bus & per omnia plenissime suffragari, & ab  
eis respectu inviolabiliter observari; sicque in  
præmissis per quoscumque Judices ordinarios &  
delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici  
Auditores, judicati & definiti debere; ac irritum  
& inane, si secus super his a quoquam qua-  
vis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit  
attentari.

Obstantium  
derogatio.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Or-  
dinationibus Apostolicis; necnon Congregationis  
Hispaniæ, & Ordinis prædictorum, aliisque  
quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apo-  
stolica, vel quavis firmitate alia roboratis sta-  
tutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, in-  
dultis, & literis Apostolicis, in contrarium præ-  
missorum quomodolibet concessis, confirmatis,  
& innovatis. Quibus omnibus & singulis, illo-  
rum tenores præsentibus pro plene & sufficien-  
ter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis  
aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum  
effectum hac vice dumtaxat specialiter &  
expresse derogamus, ceterisque contrariis qui-  
buscumque.

Fides tran-  
sumptis adhi-  
benda.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsen-  
tium literarum transumptis seu exemplis; etiam  
impressis, manu alicujus Notarii publici sub-  
scriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Di-  
gnitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides  
ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus  
adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Major-  
rem sub Annulo Piscatoris die 10. Decembris  
1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

CXXI.

Confirmantur omnes Confraternitates sub titulo  
B. M. V. Septem Dolorum a Superioribus  
Generalibus Ord. Servorum B. M. V. erectæ,  
etiam si de earum canonica erectione non con-  
stet.

## CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **E**Xponi Nobis nuper fecit dilectus filius  
Petrus Maria Pieri, Prior Generalis Ord.  
Servorum B. Mariæ Virginis, quod licet non so-  
lum multæ in dicti Ordinis, sed etiam aliis Eccle-  
siis seu Oratoriis auctoritate Priorum Generalium  
ejus Prædecessorum erectæ reperiantur Confrater-  
nitates utriusque sexus Christianidelium sub titulo  
B. Mariæ Virginis Septem Dolorum, quæ suas  
functiones ad instar similitum Confraternitatum  
obeunt, multaque pietatis & christianæ charita-  
tis opera exercent; de aliquarum tamen ex illis  
canonica ab initio institutione forsitan non con-  
stat: & in aliarum erectionibus & institutionibus  
præscripta per Constitutionem fe. re. Clementis  
VIII. prædecessoris Nostri, quæ incipit: *Qua-  
cumque a Sede Apostolica &c.* die 7. Decembris  
1604. editam, forsitan servata non fuerunt: &  
alia ante emanatam Constitutionem hujusmodi  
erectæ & institutæ novas erectionum & institu-  
tionum hujusmodi, ac communicationis Indul-  
gentiarum, facultatum, & privilegiorum literas  
intra tempus ab eadem Constitutione præfixum,  
seu etiam postea, impetrasse minime reperiu-  
tur.

Prioris Ge-  
neralis Or-  
dinis hujus  
petitio.

§. 2. Nobis propterea dictus Petrus Maria  
Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in  
præmissis opportune providere, & ut infra, in-  
dulgere de benignitate Apostolica dignemur.  
Nos igitur ipsum Petrum Mariam specialis favo-  
re gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis ex-  
communicationis, suspensionis, & interdicti,  
aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœ-  
nis, a jure vel ab homine quavis occasione vel  
causa latis, si quibus quomodolibet innodatus  
existit, ad effectum præsentium dumtaxat conse-  
quendum harum serie absolventes, & absolu-  
tum fore censentes, hujusmodi supplicationibus  
inclinati, omnes & singulas Confraternitates præ-  
dictas sub titulo B. Mariæ Virginis Septem Do-  
lorum a Superioribus Generalibus in quibusvis  
tam dicti Ordinis, quam aliis Ecclesiis seu Ora-  
toriis, ubicumque locorum de præsentibus erectas,  
tamen de earum canonica ab initio erectionis  
& institutione non appareat, nec ipsæ Confrater-  
nitates novas erectionum & institutionum,  
seu communicationis Indulgentiarum, facultatum  
& privilegiorum hujusmodi literas intra tempus  
a prædicta Clementis prædecessoris Constitutione  
præfixum obtinuisse reperiantur, nec in earum  
erectionibus & institutionibus præscripta  
per eandem Constitutionem servata fuerint, au-  
thoritate Apostolica tenore præsentium confir-  
mamus & validamus; easque in statu valido esse  
& fore, decernimus & declaramus, in omnibus  
& per omnia, perinde ac si illas omnes & singulas  
ab ipso initio canonice erectas & institutas fuisse,  
novaque erectiones & institutiones suo tempore  
juxta formam memoratæ Constitutionis Clemen-  
tis prædecessoris obtinuisse constaret, & in reli-  
quis ejusdem Constitutionis forma in illarum  
erectionibus & institutionibus respectu servata  
fuisset, omnisque & singulos juris & facti defe-  
ctus, qui propter præmissa desuper quomodolibet  
intervenierint, seu intervenisse dici, censi, vel  
pretendi possint, supplemus & sanamus; &  
quatenus opus sit, ipsas Confraternitates om-  
nes & singulas, servata tamen ceteroqui Consti-  
tutionum & Decretorum hujus Sanctæ Sedis,  
præsertim circa distantiam locorum, in erectione  
Confraternitatum similis Instituti servandam,  
emanatarum, forma & dispositione, de novo  
erigimus & instituimus.

Confirmantur omnes  
dd. erectiones cum  
communicatione om-  
nium Indulgentiarum,  
Privilegiorum &c.

§. 3. Ceterum in erectione & institutione simi-  
lium Confraternitatum de cetero faciendis for-

Addito De-  
creto quod  
in futuris

mam

1733.  
erectionibus  
servetur for-  
ma Confr.  
Clementis  
VIII.

Clausula.

nam in supradicta Clementis prædecessoris Con-  
stitutione præscriptam adamussim servari volumus; alioquin erectiones & institutiones hujusmodi nullius omnino sint roboris vel momenti.

§. 4. Decernentes, easdem præsentis literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiti debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, Nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac prædicta Clementis Prædecessoris, aliisve Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub  
Annulo Piscatoris die 14. Decembris 1733. Pon-  
tificatus Nostri Anno Quarto.

CXXII.

Statutum, ut Capitulum Generale Congregationis Montis Oliveti Monachorum Ord. S. Benedicti de quinquennio in quinquennium de cætero celebraretur.

Dat. die 19.  
Dec. 1733.  
Pont. An. IV.

C L E M E N S P A P A X I I .

*Ad futuram rei memoriam.*

Petitio.

§. 1. **C**um, sicut dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Montis Oliveti Monachorum Ordinis S. Benedicti tam suo quam majoris partis Abbatum dictæ Congregationis nomine Nobis nuper exponi fecit, ipsi feliciori regimini in spiritualibus & temporalibus, atque indemnitati ejusdem Congregationis prospiciendi studio, illius Capitulum Generale, quod singulis triennis cogi consuevit, nonnisi de quinquennio in quinquennium deinceps celebratum iri summopere desideret. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, quatenus in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur, qui rectam ipsius Congregationis administrationem, ac levamentum sinceris exoptamus affectibus, dictos Procuratorem Generalem & Abbates specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, eorumque singula-

res personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum ferie absolventes & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cætero Capitulum Generale Congregationis præfatæ quolibet quinquennio a proximo futuro Capitulo Generali, quod anno 1735. celebrandum erit, incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus de quinquennio in quinquennium continuando celebretur; sicque dignitates & alia munera & officia ejusdem Congregationis, quæ triennio terminantur, ad quinquennium itidem impostero perdurent; ita tamen, ut durante quinquennio ejusmodi omnia & singula Monasteria dictæ Congregationis bis, secundo scilicet, & quarto anno visitari debeant, ac tertio anno Visitatores Dietæ ipsius Congregationis, in Monasterio Montis Oliveti Majoris nuncupati celebrandæ, intervenire teneantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & ordinamus.

§. 2. Decernentes, ipsas præsentis literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter & inconcusse observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præminencia & potestate fungentes & functionarios, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiti debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, ejusque Provinciae, & Monasteriorum; & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eidem Congregationi, Provinciis, & Monasteriis, illorumque Superioribus, Monachis, & Personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, & decretis, in genere vel in specie, aut aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita pro servata habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum

Concessio  
de qua in Rubrica.

Clausula.

Fides transumptorum.